

quet in sensum ab ipsius mente alienissimum, cum ne vestigium quidem ullius præcisionis formalis in toto contextu Aristotelico adpareat; sunt ergo verba Aristotelis prout jacent simpliciter & sine mentis abstractione intelligenda. Deinde nimis aperte contradicit manifestæ experientiæ, quod si enim vel rusticum interroges, utrum lac sit simile nivi, expedite respondebit affirmando, & si nullus de mentis præcisione cogitet, neque universalem naturam à singularibus abstractere unquam didicerit. Manifestum ergo est, omnino similia dari à parte rei, ut rectissimè docet Arriaga, Oviedus, Comptonus, Mendoza & alii Scholastici plures statuant. Nugas ergo agit Franciscus & fundamentum nequaquam destruit.

§. Aequalia tandem dicuntur Aristoteli, quorum eadem est quantitas. Cum autem quantitas duplex sit, alia quantitas molis, quæ in partium extensione; alia quantitas virtutis, quæ in rei perfectione cōsistit: hinc aequalia etiam possunt dici dupli sensu, vel respectu quantitatis molis, quomodo v. g. aequales dicuntur duæ lineæ à quæ longæ, vel duo homines ejusdem staturæ & dimensionis; vel dicuntur aequalia quædā in ordine ad quantitatē virtutis, quomodo v. g. duo homines ejusdem autoritatis & potestatis dieuntur aequales. Et sic secundum symbolum Athanasianum 3. personæ divinitatis sibi invicem in potentia ac sapientia coæquales dicuntur. Quemadmodum autem aequalitas, quæ sese fundat in quantitate molis, re-

quirit, ut extrema sint exactè ejusdem quantitatis dimensionis, h. e. ne unum alterum quantitate excebat; ita æqualitas etiam quæ fundatur in quantitate virtutis & per analogiam talis dicitur, requirit, ut extrema sint ejusdem planè perfectionis, h. e. ut in neutrō sit perfectio major, quam in altero. Hinc personæ divinæ in respectu quantitatis virtutis perfectissimè aequales dicuntur, quia omnes sunt ejusdem & infinitæ perfectionis; homo autem licet Deo in aliquibus similis dici possit; æqualis tamen ipsi dici nunquam potest.

(ε) §. Diversa opponuntur iisdem & accipiuntur duobus modis, nempe latè & sic diversa dicuntur tūm ea, quæ in nullo genere univoco conveniunt; tum ea etiam, quæ in aliquo univoco genere conveniunt, sub eodem tamen in aliquo etiam distinguntur, & sic speciali nomine differentia dicuntur: quemadmodum priora dicuntur propriè diversa, quæ sc. à se ipsis distinguntur, adeoque in nullo genere univoco conveniunt. Et hujusmodi diversa esse ait Autor summa genera, quia Ens non habet ipsorū genus commune & univocum, sed ἄρρος ταῦτα, vel ut alii loquuntur, analogicum tantum. Loquor ex vulgata sententia secundum mentem Arriagæ, Caramuelis & B. Slevogtii; summa genera prædicamentalia etiam in genere quodam univoco conveniunt, quod Ens esse statuant, atque sic nec ipsa summa genera propriè & strictè erunt diversa stante Autoris descriptione.

TABULA XXI.

DE GENERIBUS ET MODIS DISTINCTIONUM.

DISTINCTIO prout sē habet à parte rei, duorum vel plurium mutuam relationem importat. Neque enim quicquam à seipso, sed ab alterō, & hoc vicissim ab illō distinctum dicimus, sicut ferrum à ligno, & lignum à ferro. Prout autem ad nostrum imperfectum cognoscendi modum referunt, per negationem alterius explicanda est. Occurrunt autem in hac doctrinā (ε)

I. REALIS. REALITER autem DISTINGVI est, citra mentis operatio nem distingvi; sive citim hoc, quod mens aliqua ut distincta concipit, distincta esse. (β)

REALITER autem DISTINCTA sunt, quorum significata in casu reō non sunt eadem, aut si sunt eadem, abstractorū, tamen neutrū cum alterō idem est, v. gr. *Calefaciens* & *id quod calefit*, realiter distinguntur, quia significata eorum in casu reō non sunt eadem, aliud enim est quod agit, ut *ignis*; aliud, quod patitur, ut *aqua*; licet abstracta, *actio* nempe & *passio*, eadem sint. Porro, *album* & *dulce* realiter distincta sunt, etiam prout uni subiecto, v. gr. *lacū* accident. Etsi enim significata eorum in casu reō sunt eadem; quandoquidem utrumque in casu reō idem numerō lac significat; abstracta tamen *albedo* & *dulcedo*, eadem non sunt. Ita in homine distinguntur realiter, *justum* & *misericordem* esse; quia abstracta, *justitia* & *misericordia*, in homine eadem non sunt. Ut autem in DEO quoque realiter distinguntur fieri nequit, quia in ipso præter concreta abstractorum utrumque, tām *misericordia*, quam *justitia*, quoad rem idem sunt.

§. Tria Realis Distinctionis signa sunt, 1. quando aliqua sunt in diversis suppositis vel subiectis, aut sunt ipsa diversa supposita vel subiecta. 2. Quando aliqua separari possunt, sive naturaliter, sive supranaturaliter, sive post separationem maneat utrumque, sive non. 3. Quando aliqua sese habent ut causa formaliter dicta & ut causatum.

II. RATIONIS, RATIONE DISTINGVI (γ) est non citim men-

164

I. Generis & sic Distinctio est vel

A B